

*78. Instrumentum testamenti
di Margherita de Garruba*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*78. Instrumentum testamenti
di Margherita de Garruba*

1382-11-04

(c. 237v) In nomine domini nostri Iesu Christi. Anno a nativitate eiusdem millesimo tricentesimo ottuagesimo tertio, regnante serenissimo principe et domino nostro Carolo tertio rege Hierusalem et Sicilie, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comite, regnorum suorum anno secundo feliciter amen, die quarto mensis novembris, sexte indictionis, apud civitatem Potentie.

1

Nos notarius Cichus notarii Iacobi de Potentia ipsius civitatis annalis iudex, Antonius de Marco Mordente de Laurino puplicus per provincias Terre Laboris et comitatus Molisii, Principatus citra , et ultra serras Montorii, et Basilicate reginali autoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto puplico notumfacimus, fatemur et testamur quod ad preces nobis fattas pro parte Margarite de Garruba, uxoris magistri Andre# de Casali Aspero, iure Romano viventis pro ut ceteri homines et mulieres ditte civitatis ab antiquo vixerunt et vivunt, accersitis nobis ad monasterium monialium Santi Lazari de Potentia ubi invenimus dittam Margaritam iacentem in letto, egrotam, sanam tamen mente et rette locutionis existentem ipsamque considerans humane conditionis statum fragilem et caducum quo labim(us) in proviso et volens ipsa testatrix proinde anime sue saluti providere, de bonis suis omnibus presens suum ordinavit, fecit et condidit testamentum, quod voluit esse ultimum et

Il documento, sotto l'anno 1383, va ripocondotto al 1382, dato l'uso dello stile bizantino per il computo dell'indizione; al novembre del 1382, inoltre, corrispose il secondo anno di regno di Carlo III di Durazzo, sia che si calcoli per anni interi, sia che si consideri il computo per anno incipiente abbreviato.

finale et voluit quod lex Falcidia locum non habeat et quod si non valet iure testamenti saltem valeat iure codicillorum et cuiuscumque alterius ultime voluntatis obtineat firmitatem. In quo dicta Margarita testatrix heredes // (c. 238r) sibi instituit in omnibus bonis suis mobilibus et stabilibus, preterque infrascriptis legatis et fidei commissis, Nicolaum et Dianam de Casali Aspero filios suos legitimos et naturales; item elegit sibi sepulturam intus ecclesiam sancti Girardi de Potentia pro qua legavit tarenos quindecim; item legavit pro malo oblato incerto tarenos tres; item legavit Florie de Theodoro, in quibus sibi tenetur, tarenum unum; item mandavit et voluit ipsa testatrix quod omnes clerici et fratres Minores ecclesiarum et loci civitatis Potentie, si ipsam mori contingerit, veniant et intersint exequiis suis; item legavit pro luminaria dicte ecclesie Sancti Girardi petiam unam terre sitam in tenimento Potentie, in loco quod dicitur generaliter la via de li Palmenti, confinatum iuxta viam publicam, vineam Bellucie de Lacupensuli, iuxta terras dicte ecclesie Sancti Girardi et alios confines; item legavit sorori Antonelle moniali dicti monasterii Sancti Lazari de Potentia, sorori sue nexu consanguinitatis seu carnalitatis, in carlenis argenti uncias duas; item legavit domino Nicolao de Garruba cantori Potentino patruo seu [.....] suo in carlenis argenti ponderis generalis unciam unam; item legavit abbati Ioannotto de Garruba patruo suo, in carlenis argenti, unciam unam; item similiter legavit diacono Cicco de Garruba, fratribus suis, videlicet pro quolibet ipsorum in carlenis argenti unciam unam; item dicta testatrix voluit et mandavit quod ad expensas suas mittatur // (c. 238v) unus homo qui vadat ad Santum Angelum de Monte nomine et pro parte ipsius testatorise, que

noverat illic attendere si vixisset; et similiter nomine ipsius testatoris <sic> ad suas expensas, ex voto fatto, per eam mittatur et vadat quidam alius homo ad Santam Mariam de Nova que generaliter dicitur de lo Monte, cum ipsa testatrix ad dittas indulgentias necessarias pergere tenebatur; item idem <sic> testatrix legavit predicto diacono Cicco, ad quos sibi tenebatur, in carlenis tarenis sexdecim; item legavit abatisse monasterii Santi Lazari, ad quos similiter ipse testatrix tenebatur sibi, tarenos duodecim; item legavit iudici Meulo, ad quos sibi tenetur, tarenos tres; item legavit Ioanne de Balzano, in quibus tenetur sibi, tarenos tres; item legavit domino Domento de Gratoso patruo suo tarenos duos; item legavit Diane filie sue predictae corregiam unam de argento si ipsa Diana pervenit ad etatem perfectam et si fortasse dicta Diana filia sua non venerit ad etatem perfectam, ipsa Margarita testatrix legavit et voluit quod dicta corrigia sit et esse debeat ditte ecclesie Santi Girardi et quod ex illa conficiatur unus calix ad opus et ornamentum ecclesie supraditte; item legavit predicto abbati Ioannotto de Garruba, pro expensis factis per eum in infirmitate persone sue, et Nicolai eius filii in carlenis unciam unam; item voluit et mandavit ipsa Margarita testatrix quod absoluto et satisfatto presenti testamento per eam condito, quod omnia illa bona quod forsitan de suis bonis tam mobilibus quam stabilibus remanerent, que pot(est) ipsa testatrix iudica(re) // (c. 239r) quod remaneant et esse debeant et revertantur ad manus ditto donni Nicolai cantoris, abbatis Ioannotti, diaconi Cicci et Nicolai suorum epitroporum et distributorum ordinatorum per eam et quod ipsi epitropi de dittis bonis facere possint et valeant iuxta eorum arbitrium voluntatis; item testatrix ipsa fecit et ordinavit

epistropos distributores et executores presentis sui testamenti prenomatos dominum Nicolaum cantorem, abbatem Ioannottinum, diaconum Ciccum et Nicolaum de Garruba quibus dedit liberam et plenariam potestatem capiendi, vendendi, alienandi et distribuendi tantum de bonis suis donec presens suum ultimum testamentum et legata in eo contenta plenarie exequatur; item preditta testatrix revocavit omnia testamenta, omnes codicillos ceterasque ultimas voluntates tam olim fattas quam in posterum faciendas. Unde ad futuram memoriam et ditte testatrix preces et omnium quorum et cuius inde interest et interesse poterit certitudinem et cautelam fattum est exinde presens puplicum testamentum per manus mei preditti notarii, signo meo solito signatum et subscriptione mei qui supra iudicis et nostrum subscriptorum testium subscriptionibus roboratum.

2

3

4

5

6

Così S per improvviso

Così S per lababimus

Salto in S, manca un nome

Così S per Demetrio (da docc. coevi)

Si rileva una incongruenza, frutto di un probabile errore di trascrizione; in effetti Nicola cantore, ovvero Nicola de Garruba, cantore, è citato due volte nell'elenco degli epitropi, uno dei quali era pressoché certamente Nicola, figlio della testatrice

Quod scripsi ego prefatus Antonius puplicus ut
supra notarius qui premissis omnibus rogatus interfui
ipsumque meo solito signo signavi. (SN) † Ego qui supra
notarius Franciscus annalis iudex Potentie subscripsi
† Ego diaconus Niconius de Lacupensoli canonicatus
Potentinus testis interfui † Ego Adenolfus de Stampis
testis sum † Ego diaconus Nicolaus de Ingannulo
canonicus Potentinus interfui testis † Ego Galesius de
Stampis de Potentia testis sum † Ego diaconus Antonius
de Gati testis sum † Ego presbiter Andreas Sorbus testis
sum † Ego diaconus Ciccus de Ricardo testis sum

7

8

9

Così S per Nicolaus... canonicus
Così S per Gaeta (da docc. coevi)
Così S per Corbus (da docc. coevi)